

cuniae quicquam vel pro cibo potuque, vel aliis rebus, ad iter profequendum necessariis, expendat. Accedit porro, quod, cum per Camenzium, Budissam, Koenigsbruckam transeant illi tantum, qui ex Saxonia aliisque Germaniae provinciis in Silesiam tendunt, Gorlicium transeundum sit etiam illis, qui ex Bohemia in Poloniam proficiscuntur. Hac igitur de causa tanto majorem curam pro viae hujus juribus conservandis adhibendam esse existimarunt, quanto majus exinde sentiunt emolumentum. Denique Gorlicensibus etiam propter pannificum, qui in ea urbe commorabantur, frequentiam, jam olim ratione glasti concessum fuit jus, quod dicunt stapulae, vi cujus omnes mercatores, qui materiam hanc, colorandis pannis apprime aptam, ad alios deferunt, & Lusatiam superiorem intrant, sunt obstricti, ut Gorlicium veniant, mercesque suas ibi venditum exponant; Ut de re constet, addo verba, quibus CAROLVS IV. in confirmando hoc jure usus est in diplomate, quod dedit anno 1356. Ita vero illa se habent: *Quicumque vero mercatores seu vectores sandicem ducentes quibuscunque temporibus vel horis districtui Budissensi & Goerlicensi applicuerint, postquam metas illorum districtuum ingressi fuerint, tenebuntur & debebunt perpetuis temporibus ipso facto intrare civitatem Goerlicensem, & ibidem deponere sandicem, & cum eodem continuare ibidem, ac omnia & singula alia facere, quae antiquitus jure vel laudabili consuetudine noscuntur observata.* Quod jus confirmatum etiam est a FERDINANDO I. his verbis: *Zum eilfften so gebeut auch der Kayser allen Kauffleuten, die mit Waith handeln, welche die beyde Reichbilder und Kreyße, als Budissin und Görliß damitte berühren, daß sie solchen Waith nirgends anders wohin, dann gen Görliß führen, alda abladen, verkauffen und verhandeln sollen, auch darvon der Stadt thun und geben, was sie zu alten Rechte von solchen billig zu fordern haben.* Habes itaque causas, propter quas Goerlicenses viam hanc nostram omnium accerrime defenderunt,